



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Beatissimam V. Mariam accessum nobis praebere ad Deum & dispertiri
nobis dona coelestia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

pto Christus non modò Petrum discipulum atq; apostolũ suum cui loquebatur, sed oēs fideles obligatos esse voluit. Denique gratias immortales age B. Virgini, quod se dignam portam reddiderit, per quã DE I Filius mundum ingrederetur, atq; cõsidera deinde quomodo eadem sit porta animas coelum introducens.

Beatissimam virginem MARIAM accessum nobis præbere ad DEVM, & dispertiri nobis dona cœlestia.

SAncti omnes siue Angeli, siue homines portæ cœli dici possunt, quia tũ per salutaria præcepta, institutiones, & admonitiones, tum per orationes suas & merita ad DEVM nos adducunt. Angeli in sacris literis nominantur *administratores spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Sancti appellantur *lux mundi.* Quod si hanc proprietatem in Angelis & Sanctis agnoscimus, multò magis eam in B. Virgine MARIA debemus agnoscere, quãdo quidem illa hæc omnia longè præcæteris tũ angelis tũ sanctis excellentius & pfectius efficit, C 2 Nam

Heb. 1.
Matt. 5.
B. Virgini
li porta pro
pter instru-
tionem &
exemplum.

Nā ad instructiones quod attinet, hæc est illa, quæ in principio nascen-
 tis Ecclesiæ Apostolos informauit, illisque abditissima quæque ac sub-
 limiora fidei mysteria, vti S. Patres testantur, explicauit. Quoad bona
 exempla: hæc est illa, quæ, vt D. Bernardus ait, non aliter ac rutilans
 stella suis radiis vniuersum orbem illuminauit: cuius splendor & præ-
 fulget in supernis & inferos penetra-
 rat. Quod S. Ambrosius clarius exponens ait: Talis fuit **MARIA** vt e-
 ius vnus vita omnium disciplina sit. In hac enim, vt idem eodem loco
 ait, velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Quibus
 nos cum pio & deuoto B. Virginis cultore S. Bernardo adiungimus:
 Hanc esse illam cui collati sunt cœlestium gratiarum thesauri, vt eos
 hominibus dispertiat. Hanc esse illam, quæ peccatoribus misericordi-
 am & indulgentiam, iustis perseuerantiam & gloriam impetrat. Hanc
 esse puteum illum aquarum viuentium, de quo sermo est in Canticis: pu-
 teum

S. Ignat. ep.
ad Ioan.

S. Bern. ho.
2. super
Missus est.

Amb. lib. 2.
de virgin.

S. Bern. ser.
de natiuit.
B. virg.

Cant. 4.

reum inquam, *aqua salietis in vitam* Ioan. 4.
eternam, vti Christus ait: Hanc de-
 nique esse illam, quæ liberum nobis
 ad DEVM aditum facit, vti præfa- S. Ber. ser.
 tus Doctor S. Bernardus ait allo- 2. de adu.
 quens eam his verbis: Virgo Regia,
 tu es via per quam Saluator adue-
 nit: per te accessum habemus ad fi-
 lium, vt per te nos suscipiat, qui per Extat tom.
 te datus est nobis. Et Arnoldus Car- 4. Biblioth.
 notensis S. Bernardo familiaris: Se- SS. Patrū.
 curus mihi accessus eo patet vbi
 mediatorem causæ meæ habeo filiū
 ante Patrem, & matrem ante Fili-
 um, vbi MARIA Christo ostēdit pe-
 ctus & vbera dicens: Fili mi propter
 vbera quæ suxisti, da huic veniam. Fi-
 lius aut Patri latus exhibet ac vulne-
 ra dicens: Pater aspice vulnera mea,
 & matris meæ postulatis annue.

In libris Regum legimus mulie- 2. Reg. 14.
 rem quandam Thecuitem à Ioab
 principe militiæ ad Regem David
 submissam, Absaloni veniam sui sce-
 leris impetrasse: illumque Patri,
 quem grauitè offenderat, reconci-
 liasse: & dubitabit quispiam Beatif-
 simam.

simam Virginem MARIAM non posse DEVM Patrem filio intercedente, peccatoribus propitiare atq; illos in pristinum gratiæ locum restituere? non etiam posse filijs suis spiritualibus regnum cæleste impetrare? Si Bethsabea potuit suis precibus filio Salomoni regnum exorare, Dauidemq; ad solennem illius coronationem inducere, non poterit Beatissima virgo MARIA efficere vt spirituales filij eius, cælestis gloriæ diademate coronentur, cœliq; Reges constituentur? Credibiliusne est Reginam vnius duntaxat populi plus in terris auctoritate atque existimatione valere, quàm totius vniuersitatis Reginam in cœlis?

Quis itaq; non summo desiderio teneatur hanc Dei matrem in stellâ & fidelem ducem sibi asciscendi, cuius auspicijs procellosi maris huius sæculi pericula superet? Quis non cupiat se totum potestati eius & directioni committere, vt per illam in cœlum verum salutis &

æter-

æternæ foelicitatis portum induca-
 tur? Profectò quisquis talem stel-
 lam & tam fidam ducem, qualis est
 Beatissima Virgo Maria, nancisci-
 tur, singulari beneficio à DEO de-
 coratur. Et quicumque toto animo
 atque affectione huius Beatæ Virgi-
 nis obsequiis se tradit & deuouet,
 magnæ consolationis ac spei mate-
 riam habet. Nam iuxta Doctorum
 sententiam, nullum certius atque
 euidentius diuinæ electionis ac
 prædestinationis signum est, quam
 erga Beatam Virginem MARI-
 A M præcipua deuotione ferue-
 re.

*Signum di-
 uina præde-
 stinationis
 quod.*

○ Eia ergo anima Christiana, gra-
 tias age DEO de tantis bonis ac
 beneficiis quæ tibi in Beata Virgine
 contulit, atque deuotionem tuam
 erga eandem Virginem, stellam
 tuam, caue ne vnquam omittas:
 & posteaquam incredibiles ac di-
 uinas proprietates, ac singula-
 res virtutes eius admirata fue-
 ris, atque quantum licet, imi-
 tandi propositum feceris, offer ei

salutationem Angelicam: & omnia quibus in tua nauigatione indiges, videlicet pacem & gaudium tam interius, quàm exterius, castis ab ea precibus postula.

Hæc enim sequens versuum quaternarius in se complectitur. concinne igitur illum deuota mente & dic:

Sumens illud Aue
Gabrielis ore:
Funda nos in pace,
Mutans nomen Eux.

MEDITATIO.

Anima salutat Beatam Virginem & ab ea pacem & gaudium spirituale postulat.

Prou. 18.



Domum hominis, virgo gloriosa, iuxta Sapientis dictum, dilatat viam eius, & ante Principes spacium ei facit. Tu es totius mundi princeps & Regina; tuo præsidio atque